



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quæstiones Canonicae De Decimis

Friderich, Melchior

Ingolstadii, 17010 [i.e. 1710]

Caput V. De Exemptis per Pacta & Statuta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61677)

SS. Eccl. & Can. pen. 16.9.3. Nam &c. neque mobiles præscribi adversus Ecclesiam, nisi 40. annis cum titulo, & sine hoc tempore immemorabili, si possidenti Jus commune resistit: cum Canones, qui in casu resistentis Juris tempus quadragenarium & inmemoriale requirunt,

absolutè loquantur, nec inter mobilia & immobilia distinguant. Accedit, quod Dominus fundi fructus ejusdem non præscribit (cum ipse sint, non Ecclesiæ) sed solum præscribit actioni; hæc verò, ut dixi, nisi dicti temporis casu non extinguitur.

CAPUT V.

De Exemptis per Pacta & Statuta.

QUÆSTIO I.

An contractu vel statuto acquiri possit immunitas à solvendis decimis?

SUMMARIUM.

306. Varij modi paciscendi super decimis.

307. Potest fieri compositio super decimis præteritis absque consensu Superioris.

308. Pariter sine hoc consensu potest Parochus illas remittere vel super ijs transigere ad suam vitam.

309. Potest cum consensu Superioris Ecclesiæ eas etiam in futurum remittere, si aliunde ipsi provisum est.

310. Potest Parochus consentiente

Superiore transigere super decimis futuris, ita ut obligentur etiam successores.

311. Laicus decimator absque consensu Superioris eas remittere potest, vel super iisdem transigere.

312. Valet Statutum SS. Pontificis de non solvendis alicubi decimis; non item Statutum secularium.

313. Tametsi alicubi detur consuetudo non solvendi.

306 Varij modi paciscendi, & transigendi concipi possunt, quibus immunitas ab onere decima-

rum acquiratur. Nam I. liberaliter remitti possunt per pactum de non petendo. Quæ ab aliquibus di-

S citur

citur Compositio, utpote quæ est conventio gratis & liberaliter facta. II. Quando dubia est solvendi obligatio, certum quid promitti potest, ut Ecclesia desistat à lite, & petendo. Hæc propriè dicta Transactio est, utpote quæ est rei dubiæ aut litigiosæ aliquo dato, vel re-
 tento, vel promisso, conventa decisio. *c. 7. de Transact. l. 1. ff. eod. l. 7. 17. 33. & 38. C. eod.* III. Et si obligatio solvendi sit certa, quia tamen incertus est proventus agrorum, & dubia fructuum quantitas, conveniri potest de certa quantitate pecuniæ vel fructuum quot annis solvenda, vel solvenda nunc, omni obligatione in futurum sublata. Hanc quoque aliqui ex *l. 11. C. eod.* dicunt esse transactionem.

307 Assert. I. Potest fieri compositio super decimis præteritis, seu decursis, sine consensu Superioris. Ita Gloss. & DD. in *c. Ut super 8. de reb. Eccl. alien.* & in *c. fin. de rer. permut. Dec. in c. Venerabilis 8. de Confr. ut not. 4. Rebuff. q. 13. n. 2 5. & 33. Fagundez præcept. 5. Eccl. l. 3. c. 2. n. 17. Barbos. l. 3. Jur. Eccl. c. 26. n. 26. ac alij, nemine retragante. Ratio patet: quia tunc non agitur de tollendo aliquo Jure Ecclesiæ, sed solum de commo illius Parochi, cui decimæ fuerant solvendæ. Unde iste, sicut perceptas ex justa causa donare vel vendere potuisset absque consensu Superioris, ita debitas remittere potest, vel compensationem in quacunque*

vel fructuum vel pecuniæ quantitate acceptare. Nisi fortè ex ipsdem reparanda fuerit Ecclesia, vel ejus ornamenta, stipendium dandum Ministris Ecclesiæ &c. & his obligationibus aliunde satisfacere ipse aut non possit aut non velit. Quo modo limitanda est etiam sequens assertio.

Assert. II. Potest Parochus sustentas decimas ad suam vitam remittere etiam laicis, vel super ipsdem transigere, absque consensu Superioris. In hac quoque assertione conveniunt DD. sumiturque ex *c. Veniens 8. de Transact. c. 8. ut super de Reb. Eccl. alien. c. de cetero 5. de Transact.* Ratio jam data est: quia hac ratione sibi tantum & non successoribus præjudicat. Patetque exemplo D. Pauli, qui cum *1. Cor. 9. v. 4.* multis comprobasset, se habere potestatem manducandi & bibendi, seu victum exigendi à fidelibus, quibus prædicabat, subjungit *v. 12. sed non sumus usi hac potestate.* Neque in tali transactione ullum periculum Simonix est, ut benè notat Suar. *c. 38. n. 6.* quia non agitur de jure spiritali, sed debito solum temporali. Supponimus autem, Clerico de honesta sustentatione aliunde satis provisum esse, videl. ex alijs redditibus Ecclesiasticis vel ex bonis patrimonialibus; si enim aliunde certam sustentationem non haberet, compositio sine consensu Episcopi non

non valeret; ut patet ex Trid. *sess. 21. c. 2.* ubi dicitur, quod Clerici beneficium vel patrimonium, ad quod ordinati sunt, dimittere, & alienare *sine licentia Episcopi nullatenus possint, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint.* Idem sumitur ex *c. cum secundum 16. de Praebend.*

309 *Assert. III.* Possunt à Parochia decimæ, etiam futuræ, integræ ac in perpetuum, cum consensu Superioris remitti, non solum Clericis, sed etiam laicis: dummodo Clericis aliunde ex redditibus Ecclesiasticis sufficienter provisum sit de honesta sustentatione. Ratio assertionis constat à fortiori ex ijs, quæ dixi *n. 158.* de potestate Pontificis immunitatem à decimis integris etiam Communitatibus concedere valentis. Patet insuper ex eo, quod etiam laicis jus decimandi concedere potest.

310 *Assert. IV.* Potest Parochus consentiente Superiore transigere super decimis futuris, ita ut contraclus obliget etiam successores. Patet ex *c. 2. & 7. de Transact. & c. 3. h. t.* ac ex ijs, quæ modò de remissione dixi: si enim remitti & gratis cedi possunt, à fortiori fieri potest transactio; huic enim essentialiale est, ut uterque transigens aliquid retineat, vel acquirat, sicque per eam minus damnum nascitur Ecclesiæ, quam per gratui-

tam remissionem. Quod verò ad hanc transactionem requiratur consensus Superioris, ratio est: quia est species alienationis. *l. 1. §. utrum ff. si quid in fraud. patron.* alienatio autem rerum Ecclesiæ (quales sunt decimæ) fieri non potest absque debitis solemnitatibus, quas inter est consensus Superioris. *tot. tit. de reb. Eccl. alien.* Accedit, quod licet successor universalis factum defuncti prestare debeat, & in ipsum regulariter omnes actiones tam passivæ quàm activæ transeant *l. cum à matre C. de R. V. l. ex qua 149. & l. qui in jus 177. ff. de R. I.* Successor tamen in dignitate vel officio regulariter non tenetur stare pacto antecessoris, si hoc habeat causam continuam, & successorem obligaret ad aliquid faciendum vel patiendum, ut fit in remissione decimarum, locatione rei Ecclesiasticæ &c. ut cum communi DD. tanquam certum tradunt Covarr. *l. 2. var. c. 15. n. 6. Guttier. l. 1. 99. can. c. 36. à n. 2. Petr. Barbosa in l. si filiosam. 26. §. fin. ff. solut. matr. à n. 17.* unde ut pactum successores obliget, opus est consensu Superioris, cæterisque solemnitatibus. Quæ à fortiori procedunt de gratuita remissione.

Assert. V. Laicus decimator liberè decimas remittere potest, & super iisdem transigere absque consensu Superioris. Hanc assertionem non inveni quidem ab aliquo

quo DD. traditam; sed neque reprobata: cum solum agant de decimis Ecclesie debitis. Videtur tamen sequi ex dictis; quia sua remissione, vel transactione non prejudicat Ecclesie, sed sibi solum & successori laico. Unde non apparet ratio, cur opus sit consensu Superioris Ecclesiastici. Patetque a fortiori ex eo, quod infra dicetur, de consuetudine a Laicis jus decimandi liberè transferri testamenti, contractu venditionis, permutationis &c. Videantur tamen dicenda infra n. 505. & 509.

312 Quæstio superest, an Statuto acquiri immunitas a solvendis decimis possit. Certum imprimis esse videtur, statui a SS. Pontifice posse, ut alicubi Ecclesie etiam a laicis non exigant decimas. Hoc enim aliud non est, quam laicos a decimis privilegio eximere: hoc autem ipsis concedi a Sede Pontificia posse dixi a n. 155. Certum quoque est, statuto Principis secularis neminem liberari onere decimarum posse, a quo nec privilegio nec consuetudine vel præscriptione exemptus est, ut patet ex dictis n. 166. Pariter denique certum est, etiam Episcopos aliosque Ecclesie Prælatos SS. Pontifice inferiores, statutum de non solvendo facere non posse, absque speciali facultate SS. Pontificis, ut a fortiori constat ex dictis n. 164. Itaque dubium duntaxat est, an Principes seculares statuere possint, ne solvan-

tur decimæ, ubi consuetudo viget eas non solvendi. Hujusmodi statutum in Hispanijs a Carolo V. & in Gallijs a Philippo Pulchro seu IV. factum esse testatur, & approbat Covarr. *l. var. c. 27. n. 8. v. 9. & c. 35. 99. pract. n. 2. v. 4.*

Assert. VI. Statutum secularium Principum prohibens Clericis, ne a laicis exigant decimas, quæ vi consuetudinis solvi non solent, prejudicat immunitati Ecclesiasticæ, estque invalidum, nisi SS. Pontificis auctoritate firmetur. Ita Azor p. 1. l. 7. c. 26. q. 3. Raph. Turrian. in 2. 2. q. 87. art. 1. De bene c. 8. *Immunit. Eccl. dub. 29. sect. 1.* ac passim alij. Ratio est: tum quia Clericis nihil possunt præcipere, ut omnes Catholici DD. tradunt, & latè demonstrat Suar. *tot. l. 4. de sens. Fid.* tum quia de decimarum jure, utpote quod spirituale est, statuere nihil possunt. Neque valet, si quis dicat, laicos solum præcipere, ut consuetudo legitime præscripta servetur; hoc verò esse æquissimum, cum omni jure constitutum sit, consuetudinem receptam valere, vimque legis habere. Nam R. hinc solum probari; æquum esse, ut talis consuetudo non violetur, posseque Principes laicos invigilare, ut violatio non fiat, deferendo rem ad Ordinarios, SS. Pontificem &c. non verò, quod Clericis percipere possint, ut contra eandem non agant. Talia enim præcepta dare, solius Ecclesiastici

Superioris est. Neque obstat Jus nostrum Patrium tit. 28. art. 14. & 16. uti enim advertit Illustriss. D. Schmid *ad cit.* tit. a. I. n. I. est

illud quidem decisivum quoad decimatores laicos, at verò quoad Ecclesiasticos solùm declaratorium.

QUÆSTIO II.

Quali pacto acquiratur immunitas à solvendis decimis.

SUMMARIUM.

- 314. Gemina questio, una de solemnitate, altera de pretio interveniente, proponitur.
 - 315. Absque consensu SS. Pontificis componi cum laicis absque justa compensatione non potest, ut decimas non solvant.
 - 316. Aut, ut solvant minorem partem.
 - 317. Potest cum laico super decimis futuris fieri transactio cum consensu Episcopi.
 - 318. Occurritur contrarijs.
 - 319. Item super modo, loco, ac tempore solvendi.
 - 320. Absque consensu SS. Pontificis Clericis gratuito vel integre vel ex parte remitti nequeunt.
 - 321. Potest cum consensu Episcopi transactio vel compositio non gratuita cum ysdem fieri.
 - 322. Ad transigendum super decimis requiritur ea solemnitas, quæ ad aliendas res Ecclesie.
 - 323. Rationes opinantium, pretium intervenire non posse absque Simonia.
 - 324. Possit intervenire statuitur.
 - 325. 326. 327. 328. Et multiplici ratione probatur.
 - 329. 330. Solvuntur rationes oppositæ.
 - 331. Si perit, quod Ecclesie datum est pro decimis, ipsi perit.
314. Hactenus solùm statui, posse pacto acquiri hanc immunitatem. Restat declarandum, quid requiratur, ut pactum sit validum & licitum. Duo in controversiam veniunt. I. est, quæ solemnitas ad compositionem vel transac-
- tionem, quæ fit super decimis non solvendis, requiratur? Alterum, an possit intervenire pretium? Primam quæstionem difficilem reddunt c. 2. & c. 8. de Transact. sibi, ut videri potest, contraria: nam primo traditur, compositio-

nem super decimis factam de assensu Episcopi vel Archiepiscopi, ratam & inconcussam persistere; altero habetur, transactionem super iisdem factam non consistere, nisi confirmata sit auctoritate SS. Pontificis. Ceterum hic terminus non est de transactione solum ad vitam decimatoris valituram; hanc enim absque ullo consensu Superioris fieri posse, diximus n. 308. eam tamen solum ratione, quam ibidem in fine addidimus. Neque hic loquimur de decimatore laico: cum enim iste fructus decimales percipiat instar aliorum reddituum temporalium, non est ratio, cur ad eos alienandos opus habeat consensu Superioris, juxta dicta n. 311.

315 Affert. I. Parochi, alique Decimatores Ecclesiastici non possunt cum laicis componere absque consensu SS. Pontificis, ut decimas omnino non solvant; saltem si justa compensatio non fiat. Ita decidit Rota Rom. teste Aug Barbof. in c. 8. de Transact. n. 2. & tradunt Rebuff. q. 13. n. 36. & 39. Moneta c. 3. n. 135. Suar. c. 51. n. 10. Azor cit. c. 26. q. 3. §. deinde. Delbene de Immun. Eccl. c. 8. dub. 29. sect. 6. n. 2. alique. Patet assertio ex cit. c. 8. de Transact. c. 8. de Confir. util. & c. 1. 16. q. 7. Ratio est: quia Episcopus neque Clericos a decimarum onere absolvet & in perpetuum eximere potest, cum descendat ex Jure universalis Canonico, quod Episcopus remittere non potest, ut patet ex dictis n. 104.

316 Affert. II. Non potest absque consensu SS. Pontificis cum laicis fieri compositio gratuita, & remissio decimarum, quoad quotam, ut loco decimæ solvant v. g. duodecimam, aut vigesimam partem, aut ut ex certis fructibus non solvant. Ita communissima DD. Ratio modo data est: quia lex de integris decimis & ex omni genere fructuum solvendis est universalis Ecclesiastica: legi autem universali derogare nequit Prælati SS. Pontifice inferior, nisi ab hoc speciale habeat privilegium.

317 Affert. III. Potest cum consensu Episcopi transactio seu compositio non gratuita fieri cum laico super decimis futuris. Huic assertioni repugnant aut certe repugnare videntur Andr. alique antiqui in cit. c. c. de Transact. Suar. Azor. Barbof. ll. cc. ac passim alij. Eam tamen tenent Gloss. in cit. c. 3. Decius in cit. c. 8. de Confir. util. Delbene l. c. n. 6. Laym. in cit. c. 3. n. 1. Et videtur id statui cit. c. 3. ibi Statuimus, ut si super decimis inter vos & aliquam personam Ecclesiasticam de assensu Episcopi vel Archiepiscopi sui compositio facta fuerit, rata & inconcussa persistat: cum Pontifex ibi alloquatur laicos, ut cum Hostiensis ibid. notant Glossa, Imola, & Boich. in c. Ex litteris de Transact. n. 11. ac alij. Unde concedit Panorm. ibid. n. 7. posse cum consensu Episcopi transigi, si jus Ecclesiæ est dubium, v. g. si dominus

nus fundi allegat paupertatem, aut si dubium est, an immunitatem præscripserit, vel an privilegium, quod allegat, ad hunc vel illum casum se extendat: aut si privilegium est certum, allegat tamen Ecclesia, se graviter inde lædi, etiamsi enormis læsio non sit dubia, sed certa. Unde idem *cit. n. 7.* absolute asserit, posse compositionem fieri, etiamsi privilegium exemptionis sit certum. Idem est tenendum de casu, quando certum quidem est, dominum fundi obligari ad decimas, expedit tamen Ecclesiæ compositionem facere, ut loco earum sibi in posterum certa aliqua quantitas vel fructuum vel pecuniæ solvatur, erigatur aliquod beneficium, aliæve compensatio fiat, ut tradit Rebuff. *q. 13. n. 36.* aitque ita tenere DD. *in c. 6. de rer. permut.* Moneta *c. 5. n. 124.* ac reipsa ut existimo, alij omnes: dum enim ajunt, in compositione super decimis non sufficere consensum Episcopi, videntur solum loqui de casu, quando gratuito & absque utili compensatione remitterentur integre decimæ, aut earum aliqua pars. Ratio dictorum est: quia ad alienationem rerum Ecclesiæ regulariter non requiritur consensus SS. Pontificis, sed sufficit Episcopi. *c. 1. de rer. permut. c. 41. 12. q. 3. c. 40. 17. §. 4. c. 8. §. ult. de reb. Eccl. alien. c. 7. & 8. de his, quæ fiunt à Præl.* Cum ergo circa dictam transactionem jure sacro nihil peculia-

re statutum sit, poterit illi Episcopus auctoritatem præstare.

Neque obstat *c. 8. de Transact.* 318 ubi ad transactionem super decimis videtur requiri consensus SS. Pontificis: nam in casu illius decretalis vel agebatur de gravi præjudicio, hoc est, solvenda solum tertia parte loco decimæ, vel quia nulla causa intererat utilitatis, necessitatis &c. uti explicant Moneta *l. c. n. 127.* Barbosa *in cit. c. 2. n. 3. & l. 3. Fur. Eccl. c. 26. n. 25.* Pariter non obstat *c. 8. de Confirm. ut.* quia ibi ad amicabilem super decimis compositionem requirebatur confirmatio Sedis Apost. ex speciali conventionione partium, ut vid. illa peteretur, & conventio tunc primum executioni mandaretur. Denique non obstat *can. 1. 16. q. 7.* quia ibi agitur non de immunitate laicorum à decimis, sed de jure decimandi iisdem ab Episcopis vel Regibus concessio: vel si etiam de immunitate sermo est, illa solum intelligitur, quæ sine causa, utilitate Ecclesiæ, aliisque solemnitatibus laico conceditur. Hinc absolute dicendum videtur, posse Episcopum auctoritatem transactioni vel compositioni præstare, etiamsi agatur de omnimoda immunitate laico concedenda; modò solemnitas, quæ ad alienationem rerum Ecclesiæ requiritur, intercedat, & compensatio Ecclesiæ aliunde fiat, unde Assert. 1. addidi, *saltem si justa compensatio non fiat.* Quod
ecti

etsi DD. omittant, & absolute tenere videantur, auctoritate Episcopi laicos nunquam acquirere posse immunitatem à decimis, videntur tamen intelligendi solum de casu gratuita remissionis, vel alterius cessionis, quæ in detrimentum Ecclesiæ vergeret. Hinc non admitto, quod ait Suarez *cit. l. 4. c. 51. n. 10.* ad transactionem super decimis cum laico necessariam esse Pontificiam confirmationem ex speciali Juris dispositione: neque enim id probant Jura, quæ adducit. Quando verò dicitur, neminem, nisi Papam, posse exemptionem dare à decimis, per compositionem verò dari exemptionem: Respondetur, tunc solum esse exemptionem, si compositio est gratuita; non verò, si Ecclesiæ sit justa & utilis compensatio; sic enim nihil ipsi dedit: neque laicus, cum quo componitur, re ipsa est exemptus; etsi enim decimas non det formaliter, & in specie, ut loquuntur, dat tamen in æquivalenti.

319 Assert. IV. Potest cum laicis fieri transactio cum consensu Episcopi super modo, loco, & tempore solvendarum decimarum. Ita tradunt Gloss. Innoc. & Dec. *in cit. 8. de Transact.* Rebuff. *g. 13. n. 29.* Moneta *c. 5. n. 125.* Fagundez *in precept. Eccl. 5. l. 3. c. 3. n. 18.* Barbosa *de offic. Par. c. 28. §. 4. n. 24. & l. 3. Jur. Eccl. c. 26. n. 24.* Delbene *l. c. n. 6.* ac passim alij. Patet à fortiori ex dictis: quia sic non patitur

damnum Ecclesiæ, vel hoc ipsi, ut ponimus, à fundi domino compensatur.

Assert. V. Absque consensu SS. Pontificis Clericis gratuito remitti non possunt decimæ vel integre vel ex parte. Hæc quoque conclusio est communis DD. Ratio est: quia talis remissio foret privilegium non solvendi; hoc autem nem o SS. Pontifice inferior concedere potest, ut patet ex dictis *n. 164.*

Assert. VI. Cum consensu Episcopi potest inter Clericos fieri transactio super decimis, & compositio non gratuita, ut minor pars, quam decima, solvatur, vel ut ex certis fructibus nihil solvatur. Ita tenet communissima DD. & patet ex *c. 3. & 8. h. t.* ac notant ibi Panorm. alijque. Quin juxta dicta *n. 318.* asserendum est à fortiori, posse Clericum auctoritate Episcopi omnino liberari obligatione solvendi decimas, si has Ecclesiæ, cui debentur, aliunde compenset. Requiritur verò consensum Episcopi ad transactionem & compositionem, quam etiam Clerici inter se ineunt, extra dubium est, cum notum sit, non posse super juribus suæ Ecclesiæ Rectores privatâ auctoritate inire pactum, quo etiam successor obligetur, ut diximus *n. 310.* Minorem verò causam vel utilitatis vel necessitatis ad hanc inter Clericos compositionem requiri, quam quæ requiritur ad compositionem cum laicis, forsitan rectè dixerimus: tum quia

quia Jura & DD. universim facilius concedunt transactionem Clericis inter se, quam cum laicis; tum quia per transactionem inter Clericos decimæ non subtrahuntur Ecclesiæ & Clero, sicut subtrahuntur per transactionem cum laicis, sed solum ab una Ecclesia & Clerico transferuntur in alium.

322 Affert. VII. Ad transactionem super decimis faciendam, sive cum alia Ecclesia, sive cum laico, præter consensum Episcopi requiritur universim ea solemnitas, quæ in alienatione rerum Ecclesiæ intervenire debet: cum transactio sit alienatio. Ita communis DD. quos cum pluribus Rotæ decisionibus allegat Barbosa l. 3. Fur. Eccl. c. 30. n. 40. Hinc in majoribus Ecclesijs requiritur tractatus & consensus Capituli, in Ecclesijs exemptis consensus SS. Pontificis, & in transactione, quam faciunt regulares, licentia S. Congregationis Concil. Trid. juxta ea, quæ fusiùs tradi solent ad tit. 13. l. 3. Decret. Porro nomine Episcopi Rebuffus l. c. n. 23. Fagundez cit. c. 2. n. 2. & 3. ac Barbosa cit. c. 26. n. 2 5. intelligunt etiam Vicarium Generalem. Illi quoque hoc nomine veniunt, qui habent Jurisdictionem quasi Episcopalem. Ex quo Lud. Engel b. 1. §. 3. n. 15. bene infert, posse Abbates consensum præstare quoad decimas Parochiarum suis Monasterijs pleno jure incorporatarum, cum juxta Innoc. & Panor. in cit.

c. 2. de Transact. ac communem aliorum per talem incorporationem acquirant Jurisdictionem quasi Episcopalem, ut inter alia etiam auctoritatem in alienatione rerum ad hujusmodi Ecclesias pertinentium interponere valeant.

Restat expediendum dubium, 323 an in transactione super decimis intervenire possit pretium seu res temporalis. Negant Imola in c. ult. de rer. permut. n. 9. & 10. Panorm. ibid. n. 4. Rebuff. q. 13. n. 36. & Canis. c. 17. n. 18. in fin. alique multi. Movetur Canisius c. 2. de Transact. & c. 3. b. t. sed neutro quidquam habetur, quod ad rem præsentem faciat, ut consideranti patebit. Movetur II. c. fin. de rer. permut. ubi reprobat laudum, quò pronuntiârunt arbitri, desistendum Abbati S. Martini in Hungaria à petitione decimationum, si Præpositus Albanensis (cum quo erat lis) obtineret decem millia solidorum Regalium à Rege Hungaria concedi Monasterio memorato. Ratio additur: cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur. Verùm, ut benè monet Moneta c. 5. n. 130. & Glossa ac DD. in cit. c. aperte supponunt, ibi non agitur de immunitate à decimis, sed de jure eas colligendi; quia agitur de decimatione, at decimatio est perceptio decimarum: neque enim decimat, qui decimas non solvit, sed, qui accipit. Moveri possunt III. c. 7. de Transact. ibi: tale damus

T respon-

responsum, quòd transigi super re sacra & litigiosa non potest: etenim res sacra ut possideantur, aliquo dato, vel retento, vel promisso, speciem credimus habere Simonia.

Atqui decimæ sunt res sacra, ut tradunt Glossa & Panorm. *in c. litteras de rest. fol. Rebuff. l. c. n. 38. & 39.* ac passim alij. Verùm, etsi jus decimandi sit spirituale, non tamen spiritualis est immunitas à decimis. Moveri possunt IV. *c. 25. b. r.* ubi dicitur, quòd *Cum laicis nulla sit de spiritualibus concedendi vel disponendi facultas, Imperialis potestas, quantumcunque generaliter fiat, neminem potest à solutione decimarum eximere.* Igitur eximere à solutione decimarum pertinet ad potestatem spiritualem, & consequenter hæc exemptio est spiritualis, ac pretio non comparabilis. At falsa est ultima sequela: non enim idèd sæcularis Princeps ab onere decimarum eximere non potest, quia exemptio est spiritualis; sed quia in lege Ecclesiæ, qualis est lex de decimis, dispensare, & jura ejusdem diminuere nequit.

324 Affert. VIII. Potest super decimis non solvendis transactio fieri pro pretio. Hanc assertionem satis probabilem existimat Engel *l. c. n. 16.* & absolutè eam tenent Germon. *de Sacror. immunit. l. 3. c. 14. n. 42. & 74.* Moneta *c. 5. n. 130.* idèmq; re ipsà sentit Suar. *c. 38. n. 6.* Mihi videtur probabilissima

& necessariò tenenda ab ijs, qui admittunt, laicos posse acquirere immunitatem à decimis per consuetudinem, & præscriptionem: hoc autem admittunt plerique, ut patet ex dictis *n. 260. & 291.* nam si hæc immunitas concedi pro pretio non posset, tunc idèd, quia esset jus spirituale; atqui si tale sit, nec consuetudine nec præscriptione laicis acquiri potest. Ergò cum his modis acquiri possit, spiritualis non est, & sic non est ratio, cur pretio comparari non possit. Ex his igitur assertio

Probatur I. Ista transactio nec Simonica est, nec aliunde prohibita, ergò validè & licitè fit. Quòd non sit Simonica, constat ex eo, quia immunitas non solvendi non est aliquid spirituale. Quòd aliunde vetita non sit, patet, quia nullum Jus produci potest, quo prohibeatur: illi verò textus, qui producuntur, nihil probant, ut ostendi *n. 323.*

Probatur II. & explicatur præcedens ratio. Per hanc transactio-
nem domino fundi solum conceditur, ut fructus suos possit retinere, & non teneatur inde aliquid solvere: cum ergò fructus sint aliquid merè temporale, non est ratio, cur obligationem eos solvendi pretio redimere non possit. Neque apparet, quid plus sit, nondum solutos redimere, quàm solutos Ecclesiæ ab eadem emere. Hoc autem posterius absque controversia licitum est.

Con-

327 Confirmatur I. Possunt decimæ præteritæ seu decursæ Ecclesijs compensari pecuniâ, ut fatentur Panorm. l. c. & Imola l. c. n. 9. *Cum satisfactio ista, ut ait, in effectu habeat fieri pro re temporali.* Neque credo, hoc negari ab alijs: quid enim interest, fructus in natura solvantur decimatori, an pecuniâ compensentur? atqui eadem est ratio de decimis futuris; nam solum pro fructibus posthac solvendis datur nunc prædium v. g. aut certa aliqua summa fructuum vel pecuniæ, æquivalens fructibus successivè solvendis.

328 Confirmatur II. Transactione se liberare onere solvendi decimas, nihil est aliud, quàm emere fructus, quos solvere in posterum deberem ex meo fundo. Atqui fructus nascituri emi possunt l. 8. §. 1. ff. de Contrah. empt. quemadmodum pignerari l. 15. ff. de pignor. legari l. 24. ff. de legat. ac per stipulationem promitti l. 73. §. 4. ff. de V. O. Possim quoque rem meam emere sub conditione & in eventum, ubi mea esse desierit. l. 61. ff. de contrah. empt. quia contractus fieri intelligitur non tam pro eo tempore, quo re verâ fit, quàm eo, in quod confertur. l. 39. ff. de manum. testam. & l. 4. C. de don. propt. ampt. Cùmque fructus sint temporales, ac præter ipsos nihil in contractum veniat, quod sit spirituale, consequens est, emptionem non esse Simoniacam.

Hinc non valet, quod dicunt: 329 Parochus, si accipit pecuniam pro immunitate, vendit jus decimandi: atqui hoc jus est spirituale. Nam N. ma. Vendit enim solum fructus nascituros, & loco eorum aliud temporale accipit. Nam si venderet ipsum jus, transferri hoc deberet in emptorem: at non transferretur, sed fundi dominus vi compositionis, solum retinet integros suos fructus, redimitque eam partem, quam aliàs decimarum nomine solvere deberet. Ipse verò decimator jus illud re ipsâ retinet, dum vi ejusdem retinet, quod loco decimarum ratione contractus ipsi solutum aut solvendum est. Unde nemo dicit, quod Beneficiatus vendat vel locet jus spirituale percipiendi redditus Beneficiales, si cum Colono v. g. aliòve horum reddituum debitore paciscatur, ut jam nunc certam pecuniæ vel frugum quantitatem pendat loco canonis vel pensionis annuatim solvendæ: cum hoc non sit abdicare & transferre jus, sed tantum ejus materiam (quæ merè temporalis est) & objectum mutare.

Igitur argumentum adversario- 330 rum retorqueri potest in compositione super decimis præteritis: si enim per compositionem super decimis futuris *convenitur de jure decimarum, quod spirituale est, tollendo, ut loquitur Imola l. c.* tunc etiam per compositionem super decimis præteritis agitur de jure spiri-

spirituali tollendo: cum Ecclesia æquale jus habeat ad decimas præteritas & futuras, estque hoc jus spirituale etiam quoad præteritas, & æquè impeditur per unam quàm per alteram transactionem; nam sicut vi compositionis super futuris non potest in futurum aliquid petere, ita nec præteritæ peti possunt, si super ipsis facta est transactio. At qui transactio super præteritis non tollit jus decimandi, & sic non excludit pretium; ergo nec illa, quæ fit super futuris.

331¹ Dubium hinc quidam Canonistæ movent, an si prædium datum Ecclesiæ pro decimis, chasmate seu terræ hiatu, aut flumine alveum

mutante, pereat, possit illa non obstante compositione eas postea petere, donec alia compensatio fiat. Affirmant Imola *l. c. n. 11.* & Germon. *l. c. n. 45.* Hæsitat Moneta *cit. n. 130.* Negant, & bene, Cyn. *in l. 2. C. de Fure Emph. Panorm. l. c.* Barth. Brixienf. Joan. Andr. ac alij. Quia proprietas prædij transijt in Ecclesiam, & sic res ipsi perijt, servaturque hac ratione æqualitas; si enim mihi fundus, super cuius immunitate compositionem feci, simili modo periret, non possem prædium repetere, quod pro immunitate dedi. Quod autem potius Ecclesiæ res sua perierit, quàm mihi mea, per accidens est.

PARS III.

De Subjecto Decimarum.

CAPUT I.

De Ecclesijs & Ecclesiasticis, quibus Decimæ debentur Jure communi.

QUÆSTIO I.

An Decimæ debeantur SS. Pontifici?

SUMMARIUM.

332. Deci-